

creto locari ad longum tempus non potest, Guttier. de tuel. part. 2. c. 3. n. 28.

Ibi: *Cum ex ea utile dominium transfertur.*

15 Per locationem ad longum tempus, dominium utile acquiritur concedenti. Videas laudatos sup. n. 10. quibus jungendi sunt Menoch. de retinend. poss. remed. 4. n. 35. Mantica. d. lib. 5. tit. 4. n. 7. Guttier. Canon. lib. 2. c. 8. n. 22. Caroc. alios referent d. q. 1. n. 3. Delbene dubit. 1. n. 26. Pat. Molin. disp. 445. n. 4. Cavalcan. sup. n. 3. Pariad. different. 28. n. 3. Jul. Clar. ubi proximè, Molin. n. 15. Francisc. Marc. dec. 455. part. 1. Greg. Lop. sup. Affict. decis. 565. in. 4. licet à communi hic sententia recesserint Conuan. commentar. lib. 7. c. 12. Pinel. sup. n. 66. Ioseph Gonçal. variar. q. c. 29. n. 34. cum quibus sententia videtur Cevall. d. q. 199. n. 5.

16 Hæc conclusio, ut sup. n. 13. notatum relinquatur, limitatur; si pactum interveniat: ne tale dominium in conductorem transeat. Cui ob stare videtur, quod de dominio directo scriptum est in l. cum manu sata 80. §. ff. de cont. empt. ubi si in venditione pactum fiat, ne in emptorem dominium transferatur, aut illud rejicitur, aut facit ut actus in aliud genus contractus transgrediat, quia est contra naturam venditionis. Atque ita utriusque Molinæ placuit, non impediri translationem utilis dominii in locatione ad longum tempus, quamquam aliter inter contrahentes convenerit. Sed communem limitationem traditam sustinendo, potest responderi; non esse de substantia hujusmodi locationis præfati dominii translationem, ut expressum asserit Marefc. d. n. 7. Barbat. de rubr. de reb. Eccles. a. n. 48. quare mirum non est, quod possit pacto tolli, manente eodem contractu, quia locatio, ut per se notum est, non ordinatur ad alicujus dominii translationem, l. non solet 42. ff. locat. sed ad fructuonem rei, quæ conducitur: l. 1. & per tot. eod. tit. & utilis dominii translatio est qui accidentale, quod propter diurnitatem temporis jure concessum est. In venditione verò principalis, ac principalis effectus, ad quem contractus tendit; est dominii translatio, ut bene explicat post alios P. Molin. disp. 33. n. 4. unde si ex vi conventionis impediatur, non erit venditio, sed alius contractus, quemadmodum Confultus definit in d. §. ultim.

17 Conductor ad longum tempus naturalem possessionem in te locata nanciscitur, quamquam locatio ad modicum tempus nullam tribuat; Caroc. sup. q. 2. n. 8. P. Molin. disp. 445. n. 4. Cevall. n. 4. Guttier. ubi proximè, n. 25.

Ad Num. 2.

18 Prælati, jure jurando promittens, bona suæ Ecclesiæ non alienare, si eadem ad longum tempus locaverit, perjurii reus efficitur, P. Molin. disp. 409. n. 8. P. Vazq. dub. 3. n. 24. vers. lute autem. Licet loquatur in terminis Extravag. Ambitiosa, & aliud de jure antiquo sentire videtur Sylvest. in summa. verb. Alienatio, quest. 17. & probabilem dixit hanc sententiam Delbene disp. cap. 17. dubit. 14. sect. 2. n. 11. Nam juramentum debet intelligi secundum materiam subjectam, in hac autem alienationis rerum Ecclesiasticarum materia, qui ad longum tempus locat, alienare censetur, ut dictum est; ex quo juramentum de non alienando violatur.

Ibi: *Ego verò etsi censeam.*

19 Contrarium verò, & sic quod Prælati non sit

perjurus, ex rationibus istis sustinent Delbene ubi proximè, Caroc. disp. quest. 3. n. 4. Valasc. de jur. emphyteutic. q. 26. n. 12. Barbat. sup. n. 52. Redoan. sup. in princip. verb. vocabulum, n. 5. sol. 15. Quæ opinio æquior est: ideoque cum probabilis sit, prædicanda, ad penas evitandas; argument. l. interpretacione 2. ff. de penis, etsi in puncto juris fortassis prior verior sit.

Ut autem non lateat quid sub præfato juramento Prælati contineatur? animadvertendum est quod dupliciter illud præfati solet, vel absolute jurando non alienare ea bona; vel promittendo, juramento adhibito, non alienare ipsa, Romano Pontifice inconsulto. Primo casu, solum obligatur ad non alienandum illicitè, & contra juris prohibitionem manet tamen sibi illibata facultas ad alienationes de jure permissas: Secundo, etiam ab alienatione permissa, non obtenta Pontificis licentia, debet abstinere, Delbene dubit. 3. n. 1. 2. ubi alii Guttier. de jurament. confirmat. part. 1. c. 52. n. 3. Quod ultimum limitatur, Primo, si magna necessitas instaret, ita ut locus dilationi ad consulendum non sit: Secundo, quoad res modicas, quæ censentur exceptæ: Tertio, secundum D. Covarr. & sequentes in locatione ad longum tempus, Delbene a. n. 6. Guttier. ubi proximè, Pat. Molin. disp. 468. n. 8. 9.

Ibi: *Tamen verum est improprè.*

Alienationis verbum aliquando latè, aliquando presè usurpatur. Primo modo locationem ad longum tempus complectitur: Secundo, non utriusque; Caroc. d. q. 3. n. 4. Pat. Molin. disp. 464. Delbene dubit. 3. a. n. 1. Molin. d. c. 21. in princip. Hermosill. in l. 43. glos. 3. tit. 5. part. 5. Bonacin. d. punct. 2. n. 24. in principio, Pinell. sup. n. 18. 19. Spin in specul. testament. glos. 19. n. 75. cum aliis.

Ibi: *Non ad penam instigendam.*

Hoc ipsum post alios notant Caroc. & Delbene ubi proximè, Penæ etenim non sunt interpretatione juvenandæ, dicit. l. interpretacionem l. cum quidam 19. n. fin. ff. de liber. & posthum. Ex quo inferitur, quod verba, quæ diversimode intelligi possunt, ita accipienda sunt, ut delictum, & pœna excusetur.

Ibi: *Cum juramentum strictè sit intelligendum.*

Ita ut quantum minus possit, jurantem astringat. Sanch. in Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 14. n. 1. 23. Cevall. tom. 2. q. 780. n. 784. Aug. Barb. in collectan. ad cap. Clericus, n. 7. de jurejurando, Menoch. de presumpt. lib. 1. quest. 45. n. 12. Guttier. ubi proximè, cap. 71. n. 3. Caroc. d. q. 2. n. 6. p. 54. Delbene ubi proximè, n. 6. Molin. disp. 468. n. 8.

Ibi: *Ex hoc dubia est apud me.*

Locans rem emphyteuticam ad longum tempus, domino irrequisito, non incidit penam caducitatis adversum ita alienantes statutam, Caroc. rubric. de jur. emphyt. n. 7. Caballin. milleloq. 213. p. 1. Add. ad Alex. cons. ult. lib. 13. Molin. sup. n. 1. c. 20. n. 17. Pinell. n. 71.

Sed oppositum magis receptum est, quod tenent Greg. Lopez in l. ult. glos. 3. tit. 8. part. 5. Marefcot. 25. disp. l. 2. c. 25. n. 9. Tiraquel. de retract. lignag. §. 1. glos. 4. n. 82. Francisc. Marc. disp. decis. 455. part. 1. Jul. Clar. receptar. sentent. l. 4. §. Emphyteusis, quest. 19. Gamma decis. 26. n. 5. Iason. in l. ultim. quest. 4. n. 112. C. de ju. emphyteut. Caldas de renovat.

renovat. emphyteus. quest. 16. n. 10. Valasc. disp. quest. 29. n. 23. Pat. Molin. disp. 461. n. 2. ubi bene probat, Penamque caducitatis per utilis dominii translationem incurri, tenuit Menoch. conf. 38. numero 1.

26 Quæ sententia debet temperari, si adjiciatur clausula: *Salvo consensu domini.* Maximè si subjungatur: *Non aliter, neque alio modo.* Per quæ verba etiam in propria, & stricta alienatione, pœna caducitatis non inferitur: quod à fortiori hic dicendum est, de quo Marefcot. lib. 1. cap. 78. à princip. Menoch. d. conf. 38. ex n. 17. ubi plures Molin. d. c. 21. numero 25.

Ad Num. 3.

Locatio bonorum Ecclesiæ, quæ alienari jure sunt prohibita, ad vitam alicujus non tenet, juris solemnitatibus non observatis, quæ in eorum alienatione desiderantur, Molin. n. 28. vers. Sed quamvis, & n. 29. Redoan. quest. 6. n. 3. Guttier. disp. lib. 2. cap. 8. n. 24. Delbene sup. c. 18. dub. 1. n. 5. Petr. Barbof. in l. filiosam. §. ultim. n. 26. ff. solut. matrim. Caroc. rubric. de locat. ad vitam, quest. 2. & rubric. de reb. Eccles. conc. 4. n. 16. Vazq. dub. 2. n. 23. Valasc. n. 2. Aug. Barbof. disp. alleg. 95. n. 14. Pat. Molin. disp. 466. n. 3. Pellizzar. sup. n. 16. vers. Respondeo, quod cum tempus, Navar. in c. consideret, §. Desleat, n. 5. de penit. disp. 5. Ratio est, quia hujusmodi locatio, quamvis brevissimo tempore finiri possit, subjicitur durationi ad longum tempus, quapropter verita censetur, Pellizzar. ubi proximè, Delbene disp. n. 5. cum prohibito cujusque actus, eos omnes comprehendat, per quos ad illum potest preveniri; l. oratio 16. ubi notatur, ff. de sponsa lib. l. si pupillorum 7. §. fin. ff. de reb. eor. qui sub. tutela; Glos. in l. si ut certo, §. ult. verb. & ait, post princip. ff. commod. Guttier. de jurament. confirmator. p. 1. c. 51. n. 9. de quo latius infra, hoc cap. ad nu. 7. cum D. Covarr. dicendum est.

Hinc deducitur, non subsistere locationem ad beneplacitum conducentis, quia in eadem voluntate diu potest persistere, Pat. Molin. disp. 445. n. 3. in fin. Pinel. sup. n. 63. Valasc. n. 4. Caroc. rub. de locat. ad long. temp. quest. 5. de locat. in volunt. conduc. num. 2. 3. ultra alios Molin. disp. cap. 21. num. 29. vers. Et etiam dicantur. Guttier. d. c. 8. n. 24. Nec ad voluntatem locantis, Molin. Guttier. Pinel. sup. quamvis contrarium placuerit Pat. Molin. Valasc. Caroc. n. 5. quoniam liberum est locatori, cum voluerit, à contractu discedere. Tamen prior opinio tenenda est, eo quod potest ex consensu locantis eadem locatio ultra tempus permissum permanere; & hoc, jus prohibet. Idem dicendum est, si in tertii voluntatem locatio conferatur; Caroc. n. 6. cujus limitatio ibidem tradita, ex dictis admittenda non est. Sed ea omnia sunt intelligenda, quando expresse actum est, ut locatio tempus permissum excedat, si placuerit; alioqui in dubio ea pacta ita sunt interpretanda, ut in ejus voluntatem locatio conferatur, possit ab ea, cum voluerit, resilire; vel in eadem persistere intra tempus lege definitum, quia contractus præsumitur secundum jus celebratus; l. quero, §. Inter locatorem, ff. locat. Menoch. de presumpt. l. 3. pres. 38. n. 1. nec censetur illicitus, nisi manifestè apparuerit, Menoch. sup. pres. 122. n. 36. & faciunt tradita infra, c. 17. n. 74.

29 Inde etiam colligitur, non posse locari ad tempus incertum, ut donec bellum finiatur; Pellizzar. sup. nisi incertitudo referatur ad aliquid, quod intra tempus permissum solet terminari: ut dum navis ex Indis redierit: idem Pellizzar. ibidem. Vel si locatio celebraretur absque temporis præfinitione,

quæ valebit; quia talis contractus secundum consuetudinem, quæ in similibus rebus observatur, debet intelligi: Caroc. quest. 9. n. 2. res autem Ecclesiæ juxta tempus jure permissum semper locari solent; atque ita idem erit, ac si expressim ad novennium olim, & hodie ad triennium esset locatum.

Ibi: *Fortassis hæc locatio*

Locationem rerum Ecclesiæ ad vitam hominis fecerit non censeri factam in longum tempus, si ille diu victurus non præsumatur secundum supputationem l. hereditatum 68. ff. ad. leg. Falcid. sentiunt cum D. Covarr. P. Molin. disp. 445. n. 3. Petr. Barb. ind. §. fin. n. 26.

Hæc tamen sententia, quam dubitans D. Covarr. videtur approbare, difficilè admitti poterit ex sequentibus. Primo, nam valde controversum est, num computatio præfate legis ultra casum, de quo agit, locum obtineat? ut videre est apud D. Covarr. infra, lib. 3. c. 19. n. 40. Molin. de primog. lib. 1. cap. 19. n. 40. Escop. de ratiocin. lib. 2. c. 2. à princip. ac verius est; non esse præcisè servandam, quamvis possit Judex pro suo arbitrio eam sequi, ut resoluti sup. c. 2. in fin. Quod in specie locationis rei Ecclesiasticæ admitti non debet, cum materia prohibitiva sit, Ecclesiæque favorabilis, cui prospicitur, verita bonorum suorum alienatione. Secundo, quia vita hominis usque ad centum annos durare præsumitur, ut notant DD. in l. ult. C. de Sacrosanct. Eccles. & in l. an usufructus 63. ff. de usufruct. quorum plures laudat Menoch. de presumpt. lib. 6. presumpt. 49. n. 9. Aug. Barbof. in disp. l. fin. n. 15. Tertio, licet præfata communis opinio vera non existimetur; saltem certum est, jure præsumi, hominem ad centum annos vivere posse, ut idem Menoch. rectè sentit, de quo sup. cap. 7. a. n. 28. hæc autem possibilitas sufficit, ut locatio ad longum tempus facta videatur, atque non subsistat, ut cum Delbene, & Pellizzario probavimus, sup. n. 27. Quarto, quoniam secundum dicta legis computum, homo quinquagenarius postet rem Ecclesiæ ad vitam conducere, & locatio ad longum tempus non conferatur facta, quia ad novennium duntaxat superstes creditur esse futurus, ut ex textu apparet; homines autem frequentissimè sexagesimum annum agere, & illum excedere, meno est qui dubitet. Ex his tenendum videtur non esse attendendam dispositionem d. l. hereditatum circa locationem ad vitam rerum Ecclesiæ, quæ ad longum tempus facta censenda est, ut docet Delbene, & Vazq. ubi proximè. Sed post hæc sententia limitari, contrariæque admitti, si conductor jam nonagesimum ageret annum, quia rarum est, & quasi portentum hodie habetur, ut quis ad centesimum perveniat annum, ut observat Menoch. an. 16. latè probans; & licet hoc possibile sit, cum raro eveniat, de eo curandum non est, argument. l. nam ad ea 5. ff. de legib.

Vers. *Quod verò dixi.*

Hoc ipsum notant Menoch. d. cas. 5. in fine. Caroc. 32. rubric. de reb. Eccles. conc. 7. n. 30. Aug. Barbof. in collectan. ad Clement. 1. n. 13. de reb. Eccles. & diximus sup. n. 12. Et ex his, quæ sub hoc vers. D. Covarr. docet, apparet, hoc interesse inter Prælatos Regulares, & seculares, quod hi locantes infra decennium dici non poterant ad longum tempus locasse; illi verò sic, quando ita iudici visum erat.

Ad Num. 4.

Hucusque tradita ad jus antiquum referenda sunt; hodie namque aliter se res habet, cum Paulus

II. anno 1468. novam ediderit constitutionem, quæ incipit: *Ambitiose*, extatque inter *Extravagantes communes sub. tit. de reb. Eccles.* qua vetitum est, bona Ecclesiastica ultra triennium locari absque juris solemnitatibus, poena excommunicationis, & aliis adversum contravenientes statutis; ut notant Pat. Vazq. *sub. dub. 3. n. 24. vers. Iure autem*, Tondut. *question. benefic. part. 1. cap. 66. n. 8.* Aug. Barbof. *d. allegat. 95. n. 3.* Scortia *in select. Pontific. constitut. theorem. 115.* Pat. Molin. *disp. 466. n. 10. vers. Ante tempora*, Thom. Delbene, *d. cap. 18. dubit. 1. n. 7.* Guttier. *Canonicar. lib. 1. cap. 8. n. 1.* Caroc. *ubi proximè, conc. 9. n. 38.* Sarmient. *de redditib. Ecclesiastic. part. 1. cap. 2. n. 20.* Bonacin. *sup. numero 24.* Cevall. *dist. quest. 199. nu. 7.* Menoch. *d. cas. 5. nu. 5.* Pellizzar. *dist. c. 8. n. 14.* ubi de Regularibus, quos præfata constitutio æquè, ac seculares ligat: Imò procedit, quamvis Religiosi conduxerint bona alterius Monasterii, & alterius Ordinis, ultra triennium; ex quo pænas dictæ Extravagantis non minus, quam seculares incurrent; Pellizzar. *n. 17. vers. Ad do quod si Regulares.*

34 Ampliatur præfatum Pontificis decretum, ut nec locatio adversus illud teneat, quamvis locans juret non contravenire contractui, quo non obstante poterit ab eo resilire; nam juramentum nequit firmare actum nutritivum peccati, alioquin esset iniquitatis vinculum. Delbene *dubit. 6.* Bonacin. *n. 26.* Corduba *in questionib. Theologic. q. 103.* & alii apud Riccium *decis. 122.* et si aliis oppositum placeat.

35 Est notandum, licere Episcopis sua constitutione triennium ad biennium, vel aliud tempus restringere, non verò extendere; hoc enim Pontificiæ constitutioni adversatur, non illud; Cardinal. *in c. ult. n. 2. ne Prælat. vic. suas.* Delbene *dubit. 8.* Aug. Barbof. *d. allegat. 65. n. 18.*

Verf. *Primò contingere solet.*

36 Locatio rei Ecclesiasticæ ultra triennium est prohibita, nulliùque momenti etiam si pactum apponatur, ut per singula triennia censeatur contractus distinctus celebrari, utque non unica, sed plures diversæ locationes sint, quia hoc in fraudem legis fit; Pat. Molin. *n. 11.* Caroc. *cum aliis, sup. n. 41.* Vazq. *dub. 4. n. 25.* Scort. *theoremat. 117.* August. Barbof. *nu. 17.* Delbene *dubit. 2. n. 1.* Valasc. *de jur. emphyt. quest. 29. n. 15.* Filliuc. *tract. 44. c. 2. quest. 5.* Rebell. *de allegat. just. lib. 1. quest. 6.* Ricc. *decis. 117.* Tusch. *lit. L. conc. 406.* Rodriguez *quest. Regular. q. 7. art. 1.* Pellizzar. *n. 15.* Idem circa locationem ultra decennium cum pacto, ut de novennio in novennium removata, censetur; nam hæc ad longum tempus facta dicitur, ut notant Molin. *d. cap. 21. n. 29. vers. Et etiam.* Marefcot. *d. c. 15. n. 7.* Pet. Barbof. *ubi sup. nu. 26.*

37 Sed si simul plures locationes distinctæ contrahantur, veluti si dicatur: *Loco hunc fundum in tres annos quibus elapsis, eundem in aliud triennium sequens iibi loco*, adhuc sustinenda non sunt, Marefcot. *n. 2. cum. seqq.* Bonacin. *n. 24. vers. Nec obstat.* Pet. Molin. & Valasc. *ubi proximè*, Caroc. *conc. 6. n. 19.* nam ut Pellizzar. *ubi proximè*, & Delbene *dubit. 2. n. 2.* aiunt, parum Ecclesiæ interest, quod unica, vel pluribus locationibus res sua ultra permiffum tempus conducatur, istique contractus propter unitatem sermonis, & temporis, pro uno reputantur, Marefcot. *n. 2. & 4.* Bart. *in cap. Apostolica, n. 12. vers. Hoc nota, de donat.* Qui quidem casus à præcedenti ut re nihil differt.

38 Dubium est, an his casibus valeat pro primo triennio contractus; Affirmat P. Molin. *sup. & disp. 467.*

*n. 4.* Valasc. Aug. Barbof. Bonacin. *ubi proximè*, Delbene *sup. nu. 1.* Contrarium verò probat latè Marefcot. *d. nu. 8.* quòd verius videtur, admiffa Bart. opinione de qua infra, *n. 44.* nam in effectu idem est, conducere absolurè ad tempus ultra triennium, ac prædictis cavillationibus uti ad fraudem legis; & ita quemadmodum in eo casu contractus, nec pro tempore non prohibito tenet, ut mox dicendum est, sic & in his omninò corruiere debet. Nec interest; quod hic plures locationes distinctæ contrahi dicantur, quoniam cum uno eodemque contextu fiant, unicus est actus, qui ut in fraudem legis, nullius debet esse momenti: videatur Marefcot. *d. c. 25. per tot.*

Ex his inferitur, quòd si diversis temporibus plures celebrarentur de eadem re Ecclesiastica locationes, ab eodem conductore, prima sustineretur, si triennium non exccleserit; cætera autem erunt irrita, si factæ sint prima locatione durante: sed hoc limitandum est, cum jam prope finem præcedentis locationis, iterum locatus, quia non datur præsumptio fraudis, g. conducit quia agrum ad triennium, & tertio jam labente anno, eundem ad aliud triennium iterum reconducit, contractus iste nullo vitio laborat; jam parum illud temperis, quod restat, pro nihilo habetur; de quo Molin. *d. disp. 460. n. 11.* Delbene *dub. 3.* Valasc. *ubi proximè*, Pellizzar. *n. 15.*

Quibus addendum est, quòd si locatio ad triennium fiat cum pacto, ut eo præterito locans teneatur ad renovandam illam, contractus valet pactione rejecta. Ita Marefcot. *n. 29.* D. Covar. *infra n. 5. vers. Non obstat*, Bonacin. *n. 24. vers. Sed aliorum opinio.* Scort. *theorem 115.* Aug. Barbof. *n. 17. in fine.* Quaranta *in summ. Bullarij, vers. Alienatio rer. Ecclesiæ*, *n. 18.* P. Vazq. *sup. n. 26.* & alii apud Deibene, qui probabile dicit, *d. dub. 2. n. 7.* quoniam aliud est locare & aliud pactum de locando unire. Sed contrarium & sic locationem omninò irritam esse, cum aliis tenet Caroc. *dist. rubric. de locat. ad long. temp. quest. 4. n. 4.* Alii distinguunt, ut prior sententia vera sit, si talis promissio in scriptura publica fiat, posterior si extra illam intervenerit. Ita Delbene *n. 5. 6.* Pellizzar. *n. 15.* Azor. *part. 2. l. 9. capit. 2. quest. 3.* Sed aliter distingui possit, nam aut conventio illa, de locando simul cum locatione intra tempus permiffum, fit, & tunc cum unicus sit actus in fraudem legis, totus irritabitur, ut Carocio & sequacibus non paucis visum est: Aut ex intervallo promissio prædicta de locando subsequitur, & ipsa solum erit nulla locatione manente, quia utile per inutile vitari non debet, cum actus sint distincti; atque ita Marefcot., & aliorum procedit resolutio. Quæ comprobantur ex dicendis, *infra, n. 47. cum. seqq.*

Ad Num. 5.

Hanc frequentissimè agitatam questionem, num scilicet locatio rerum Ecclesiæ ultra triennium, saltem intra illud sustineatur? disputant latè Molin. *d. cap. 21. n. 28.* Delbene *dubit. 5.* Guttier. *Canonic. l. 2. c. 13.* Pat. Molin. *disp. 467.* Pat. Vazq. *n. 5.* Aug. Barbof. *d. n. 5.* Pellizzar. *d. tract. 6. cap. 8. num. 16.*

Est præmittendum, disputationem hanc non versari circa locationem ultra novennium, sive ad longum tempus, quæ omnino nulla est, si absque solemnitatibus fiat, Molin. *sup. vers. Sed quamvis.* Guttier. *n. 8.* Aug. Barb. *n. 14.* Pat. Molin. *n. 4.* Ratio est, quia per contractum locationis ad decennium transit in conductorem utile dominium, quod multum solet interesse, hoc autem non transiret, si locatio ad triennium valerit; qua propter illa compellen-

pellendus non est stare contractui, qui ab eo, quem celebrare voluit, differt.

43 Locationem in specie proposita non in totum vitari, sed intra permiffum tempus consistere, cum Baldo sentiunt Pat. Molin. *n. 3.* Tondut. *sup. d. cap. 68. n. 10.* Molin. *vers. In secunda specie*, Anton. de Martinis *quotidian. resolut. lib. 1. cap. 6. num. 7. vers. Contrarium*, Guttier. *num. 7.* Aug. Barbof. *num 11.* Tusch. *d. conc. 406. n. 1.* Gamma *decis. 387. n. 3.* Quarant. *ubi proximè*, Rebell. *sup. part. 2. l. 14. quest. 6.* Caroc. *d. rubr. Eccles. conc. 6. n. 44.* Cevall. *d. quest. 166. n. 10.* & alii apud Mantic. *de tacit. convent. lib. 5. tit. 5. n. 19.* & Scortiam *theorem. 117.* Fundamentum præcipuum est; quia utile per inutile non vitatur, atque ita omnes hi suam sententiam limitant, si tempus utile ab inutili commodè nequeat separari, ut D. Covar. *infra* advertit.

Ibi: *Sed quod locatio in hac questione omninò nulla sit.*

44 Ita adversus proximè laudatos, tenent cum Bartolo P. Vazq. *n. 28.* Marefcot. *d. cap. 25. d. nu. 8.* Valasc. *sup. q. 29. n. 15.* Delbene *sup. Caldas de resolut. emphyteut. capit. 2. n. 30.* Bonacin. *sup. dist. n. 24.* Mantic. *ubi proximè, n. 1.* Emman. *Sa verb. conductio, n. 13.* Pinell. *in l. 1. part. 3. n. 73. C. de bon. memb. Azor. sup. l. 7. capit. 12. quest. 4. & l. 9. cap. 2. quest. 4.* Gratian. *discept. c. 162. n. 22.* Ricc. *decis. 117.* Scort. *ubi proximè*, Less. *de just. lib. 2. cap. 24. dub. 11. n. 68.* Rota apud Farinac. *tom. 1. part. 1. decis. 36.* Pellizzar. *num. 16.* ubi rectè notat, aliud esse, si plures locationes non uno contextu fiant, sententia D. Covar. *accedit sup. hoc. n. vers. Tandem*, ubi videas notata per me à num. 47. Ratio est, quia actus contra legis prohibitionem profusus debet esse irritus, nec in eo separatio potest admitti, cum sit unicus.

Verf. *Deinde in his.*

45 Adde Delbene à num. 2. Guttier. *num. 3. cum. seqq.* Pat. Molin. *num. 2. vers. Secundo quoniam.* Sed huic argumento respondent qui cum Baldo sentiunt, regulam, quòd in iis, quæ pendet à voluntate duorum actus, qui non valet, ut fit, nec ut valere potest, subsistit; solum procedere, cum actus transit in aliam speciem, vel ejus natura variatur, secus si intra proprios limites, nihil immutato, restringatur; quia præsumitur, contrahentes nedum in totum, sed etiam in partem, quæ absque incommodo separari potest, tacite consentire, ut in donatione ultra quingentos solidos non insinuata verificatur; P. Molin. *n. 7.* & tempus ac pecunia quoad hæc æquiparantur; P. Vazq. *sup.*

Verf. *Verum Carolus Molinaus.*

46 Hujus distinctionis inter emphyteusim, & locationem ultra tempus permiffum, meminere Pat. Vazq. *d. dub. 5. num. 27.* Guttier. *n. 5.*

Ibi: *Sic & in contractu feudali.*

47 Si res Ecclesiæ quæ erat apud feudatarium, ad eam revertatur, poterit Prælati, non servatis juris solemnitatibus, illam iterum in feudum concedere, antequam mensæ incorporetur; tunc autem incorporata; censetur quando Prælati ipsam non in feudum constituit, ac mensæ applicat; Pat. Molin. *disp. 468. per tot.* Debet tamen in nova concessione servari eadem forma, qua prius data fuit; itaut ni-

hil amplius tribuatur novo feudatario, quam antiquus habebat, alioquin quoad excessum infeudatio non tenet, veluti si feudum datum esset pro descendentibus duntaxat, ac etiam pro transversalibus novo feudatario concederetur; nam quoad hoc feudum non valet, P. Molin. *n. 19.* Jul. Clar. *dist. l. 4. §. Emphyt. quest. 6. n. 2.* & S. Feudum, *q. 13. n. 7. 8.*

Ibi: *Neque obstant verba textus.*

Sic hunc textum interpretantur communiter, qui Baldi sententiam timentur. Videas laudatos pro ea *sup. num. 43.*

Verf. *Tandem ut libere.*

48 Ultra verba, quæ D. Covarruvias ponderat pro sua vera opinione hic, sunt etiam perpendenda, quæ in d. *Authent. de reb. Eccles. §. S. verò, col. lat. 2.* sequuntur; ibi: *Det autem continuo, & post casum emphyteuticæ quantum futurus erat solvere, si secundum legem subsistet emphyteusim, nihil apud eum remanente ex rebus pauperum, quæ frustra per emphyteusim data sunt.* Ubi notanda est clausula illa *Nihil*; &c. Nam cum agatur de eo, qui primùm emphyteusim accepit, dicitur, quod nihil apud eum remaneat, ergo statim re emphyteutica ipse privatur; & ita emphyteusis nec pro prima generatione sustinetur: Præterea hoc ipsum manifestum sit per illa ultima textus verba: *Que frustra, &c.* Nam si usque ad tertiam generationem, ut adversarii volunt, valeret contractus, frustra datam fuisse emphyteusim, dici non posset.

Ad hæc pro eadem opinione facit, quia cum in d. *extravag. Ambitiose* gravissimæ poenæ contractibus irrogentur; verosimile non est, voluisse Pontificem, actum, quem sic prohibuit, aliqua ex parte sustineri; imò cæteris pænis omnimodam nullitatem adjecisse, prout sentit Pellizzar. *sup. num. 16.* Nec potest quod adversus legis prohibitionem factum est, aliquem effectum producere: *l. non dibium §. C. de legib. l. non putavit, §. Non quevis, ff. de honor. posses. cont. tabul. lib. 4. §. Condemnatum, ff. De re judicat.*

Verf. *Non obstat huic sententia.*

Huic argumento sic respondent, qui Bartolum timentur, ut Vazq. *num. 27.* Delbene *dubit. 5. sect. 2. n. 1.* Bonacin. *dist. n. 24. vers. Neque obstat*, & alii. Secundo respondent Marefcot. *n. 13.* ex Baldo in l. *Græce. §. Illud, ff. de fidejussorib. & Alciato in l. 1. §. Sed si mihi, n. 10. 11. ff. de verb. oblig. utile per inutile vitari, quando lex adui formam præscribit, ut in presenti quia forma datur, dum locatio ultra triennium fieri prohibetur. Tertio respondeatur, quòd cum jus actum annullat in penam agentium, totus penitus destruitur prout fit in d. *extravaganti.* Vazq. Bonacin. & Pellizzar. *ubi proximè*, qui in *vers. Nec obstat* optimè satisfacit ad id, quòd de donatione ultra quingentos solidos non insinuata obijcitur; ait enim, aliud esse, quod lex vetet aliquid ultra certum tempus, vel quantitatem fieri, ulterius non progrediens; & aliud, si præter prohibitionem poenis prosequatur agentes: priore casu, utile per inutile non vitatur, quemadmodum in donatione contingit, quia Legislator solum intendit excessum evitare; posteriore secus, nam cum lex procedat ad punitionem transgressorum, præcipua ac magis congrua poena est, quòd nullius momenti sit actus, ut ita in eo, in quo deliquerunt, puniantur, prout dignum est, c. quanto 3. §. Ceterum de translat. Episcop.*